BREVES NOTATIONES AD MEMORIALE ET SUMMARIUM PATRUM SOCIETATIS.



Post elucidatam in meis Obſervationibus Imperatoris Sinici reſponſionem, confutatumque in ſcripto Reverendiſs. Epiſcopi Conouenſis libellum à Patribus Pekinenſibus editum, omninò ſupervacaneum videtur quidquam reponere ad ea quæ in Memoriali & in Summario congeſta ſunt. Verùm ne aliquas difficultates ſilentio me præteriiſſe arbitrarentur Reverendi Patres, quod ipſas diluere potis non eſſem, breves haſce notationes ſubjicere operæ pretium eſſe duxi, quibus, niſi mea me fallat opinio, quæcunque tam in Memoriali, quàm in Summario alicujus momenti videri poſſunt penitùs enodanda fore confido.

Et quidem ut primùm dicam de Procurationum Actis Reverendiſſimorum Epiſcoporum Macaenſis, Nankinenſis, Aſcalonenſis, & Electi Andrevillenſis, non eſt quod Jeſuitæ magnum inde ipſorum Cauſæ præſidium accedere putent.

Etenim D. Macaenſis linguam, literaſque Sinenſes prorsùs ignorat, nec Chinam uſque adhuc ingreſſus eſt.

D. Nankinenſis, Pater nimirùm Ciceri, præterquàm quòd & ipſe linguam Sinicam adeo parùm callet, ut, an Sinenſium Chriſtianorum Confeſſiones excipere poſſit, dubitem; mirum non eſt ſi in Societate uſque ad provectam ætatem educatus Jeſuitarum ſententiam, quâ jam olim imbutus fuerat, nunc etiam tueatur; præſertim cùm poſt ſuam in Epiſcopum inaugurationem ob frequentes infirmitates addiſcendæ Sinarum linguæ, diſcutiendiſque hiſce controverſiis ſeneſcentis corporis vires applicare haud quiverit.

D. Aſcalonenſis auctoritatem plurimùm venditant Patres Societatis, ſed fruſtrà, quandoquidem ipſemet in rebus Sinicis minùs peritum ſeſe agnoſcit, ut videre eſt in ſpeciali ſcripto, quod ad elevandum ejus teſtimonium infrà apponere conſultum duxi.

De Patre Turcotti, qui anno 1696. electus fuerat Epiſcopus Andre-

vil-

villensis non est quod multis edisseram. Etenim cùm Episcopatum acceptare renuerit, ut sibi demandatum Visitatoris Societatis munus exerceret, hac in causâ non ad Episcoporum, sed ad Jesuitarum Ordinem revocandus venit.

Præter hos Episcopos, quorum Procuratores agunt Patres Societatis R̃mum quoque Pekinensem veluti ipsorum sententiæ faventem laudant, sed quantum hac in re hallucinentur testatum faciet ejus in Curia Procurator Reverendiss. Berithensis.

Testimonium etiam proferunt Reverendiss. P. Basilii à Glemona Vicarii Apostolici in Provincia *Xen si* quem Societatis sententiæ, tantùm abest ut faveat, quin è diametro adversari ex iis, quæ in speciali ad ejus testimonium responsione adduxi facilè intelligetur, ut proindè ex septem Vicariis Apostolicis unus Reverendiss. Ascalonensis, cujus in hisce controversiis exiguam admodùm esse auctoritatem demonstravi, Jesuitarum sententiæ patrocinetur; cæteri verò apertè repugnent, nempè Reverendissimus Cononensis Vicarius Apostolicus Provinciæ Fokien, Reverendissimus Berithensis Vicarius Apostolicus Provinciæ Hu kuang, Reverendiss. Pater Petrus de Alcala Vicarius Apostolicus Provinciæ Che kiang, Reverendiss. Pater Basilius à Glemona Vicarius Apostolicus Provinciæ Xen si, Reverendiss. D. Philibertus Le Blanc Vicarius Apostolicus Provinciæ Yun nan, & Ego quoque Provinciæ Su chuen Vicarius Apostolicus.

Vide inferiùs.

Jam verò quod spectat Missionarios, quorum testimonia Patres Societatis in Summario referunt, haudquaquam opus erit ad singula respondere; Cùm eorum pars maxima vel Jesuitarum sint, vel ad ea alibi ab iisdem Jesuitis laudata satis superque repositum fuerit, vel denique ex recentioribus Missionariis, qui nullam aut valdè imperfectam de hisce controversiis notitiam habent desumpta reperiantur.

Generatim observare sufficiat Sinenses Missionarios esse Dominicanos, Franciscanos, Augustinianos, Jesuitas, & seculares Sacerdotes.

Jesuitæ, cui sententiæ privatim adhæreant haud facilè dignosci potest, omnes tamen palàm Societatis opiniones hac in re tueri non abnuerim; unum excipio Patrem Visdelou longè peritissimum, quem ab aliis valdè dissentire compertum habeo.

Quæ fuerit antiquiorum Dominicanorum sententia Romæ perspectum est: quam verò sequantur praxim recentiores vel ex eo liquet quòd Jesuitæ nullum ex ipsis pro sua sententia adduxerint. Et certè Societatis opinationibus & praxi, quàm maximè oppositos esse nemo nescit.

De Franciscanorum antiquiorum mente & praxi nullus dubitabit qui legerit epistolam Rev. P. Ybañez ipsorum in China Præfecti Apostolici. Hanc videre est in mea responsione ad testimonium Reverendiss. Asca-

Ascalonensis: Quantùm verò hodierni temporis Franciscani à Jesuitarum placitis recedant manifestè constat ex epistola inferiùs referenda Præpositi Generalis Ordinis Sancti Francisci in Sinis, quam ad me Europam petentem scripsit, rogans ut Romæ veritati defendendæ incumberem, nec hanc Sancti Francisci Familiæ labem inuri sinerem ut Jesuitarum praxi, & sententiæ consentire credatur.

Neque tamen negaverim aliquem fortassè reperiri inter Franciscanos recèns Chinam ingressum, aut controversiæ, de qua agitur, minùs peritum, qui extrinsecâ Societatis probabilitate nixus, & delusus piâ quidem, sed non secundùm scientiam intentione Jesuitarum praxi non adversetur.

Quantum pariter Augustiniani ad hæc usque tempora à Societatis opinionibus abfuerint, palàm fit ex tribus epistolis, quas retuli in mea ad Reverendiss. Ascalonensem responsione, scriptis ab antiquiore è Sancti Augustini Familia in Sinis Missionario adhùc vivo, cujus labores specialis Dei benedictio prosequitur. Non tamen me latet Reverendiss. Ascalonensem pro eo quo defendendæ Societatis flagrat zelo, à duobus Augustinianis obtinuisse ut favens, quantum in ipsis esset, Jesuitarum sententiæ testimonium conscriberent, quod tamen eo solùm reducitur, ut Jesuitarum sententiam probabilem se arbitrari, & ut talem in praxi sequi affirment: sed quænam reverà esset Jesuitarum praxis & sententia ignorarunt, falsò existimantes à Jesuitis nec permitti, nec politicas affirmari Oblationes in Templis Progenitorum, & Confucii factas, quas verè Idololatrica Sacrificia esse, nec ipsi inficiantur, ut constat ex protestatione factâ à Superiore Franciscanorum ad P. Turcotti Societatis Jesu, quam Jesuitæ sinceritatis Christianæ parùm hac in re solliciti Sanctam Sedem celare non dubitarunt.

Nunc quoad Sacerdotes Gallos attinet, à praxi & sententiâ Societatis prorsùs esse alienos in dubium non revocatur, ideòque nec necessarium videtur nonnulla refellere, quæ de illis ac de me nominatim falsò Jesuitæ protulerunt; alibi forsitan opportunus erit ad calumniam repellendam dicendi locus.

Testimoniis Missionariorum subnectuntur in Summario aliquot excerpta ex libris Sinensibus: sed quoniam nullius sunt ponderis, & cæteroquin satis superque doctrina Sinensium in responsione Reverendissimi Cononensis, & in meis Observationibus dilucidata est, de iis sermonem instituere prorsùs supervacaneum arbitror.

Nihil etiam attinet, quòd Neophytorum Societatis testimonia discutiam, etenim cùm Patriis Superstitionibus à puero sint assueti, & impensè dediti, mirùm videri non debet si Jesuitarum doctrinæ, quâ Sinenses Ritus ab omni Idololatria eximuntur adhæreant, ut proindè nullus dubitem, quin sexcenta hujuscemodi testimonia à Patribus Societatis adduci possint. Sed ut vel ex uno istorum testium discamus omnes,

Je-

Jesuitæ pag. 85. Summarii laudant Licentiatum *Cham Kem* falsò, ne dicam impudenter, affirmantem Doctorem *Chu hi* Atheum & Idololatram, imò & ipsis fatentibus Jesuitis Atheorum Principem in explicatione *Xam Ti* nobiscum *verè concordare*. Certè opus non est, imò absurdum esset in hac Causa ad Religionem Sinarum spectante prætermissis libris, ubi fusissimè, & ex professo de eadem Religione tractatur, Neophytorum testimonia emendicare, ex quibus nihil aliud conficias, quam eos sive ob ignorantiam, sive ut gratiam præstent Jesuitis sententias Patriis Superstitionibus, in quas propendent consonas approbare, licèt absurdæ sint, & libris Sinensibus manifestè repugnent.

Cæterùm, ut magis perspectum fiat, quæ sit adhibenda fides omnibus illis testimoniis in Summario Jesuitarum coacervatis, *P. Augustinum à Sancto Paschali* hìc commemorare juvat, quem Societatis Procuratores inter alios Missionarios referre non dubitant, veluti ipsorum sententiæ apertè faveat, & *illustre*, ut ipsi aiunt, *testimonium dederit de veritate relationis Patris Martinii*, quemque etiam circa Cœli cultum laudant. (*In Memor. pag. 4.*) Et tamen ille ipse est Pater à Sancto Paschali, qui à Patrum Societatis doctrina maximè dissentit. Legatur quæso, quod ex ipso retuli num. 14. 50. & 51. de Atheismo Imperatoris Sinici, & de causa propter quam Patribus dederit Tabellam *Cœlum colito*; De veterum etiam Sinarum Idololatria, num. 38. De Atheismo hodiernorum omnium Literatorum Sinensium, num. 73. De Sacrificiis, quæ Progenitoribus defunctis offeruntur, num. 121. De Progenitorum Templis, & de eo quod circa hoc punctum Sanctæ Sedi P. Martinius exposuit, num. 112. & 170. De Precibus Progenitoribus adhibitis, num. 146. De Spirituum Progenitorum ad Sacrificia descensu, num. 190. De Sacrificio, quod Confucio offerri consuevit, num. 221. Attendatur insuper, hæc omnia ex quodam tractatu deprompta esse à duobus Societatis Procuratoribus iterùm iterùmque perlecto, ac multotiès laudato: certoque neminem fore confido, qui P. à S. Paschali tanquàm ipsorum Causæ patrocinantem ab ipsis adductum fuisse non obstupescat.

Jam Sanctitati Vestræ, & Eminentissimis Patribus expendendum relinquo, nùm pòst enodatas, explanatasque difficultates omnes, quæ ex lectione scriptorum Societatis enasci poterant, aliquid adhùc obstare possit, quo minùs hæc tanti momenti controversia aliquando tandem solemni judicio dirimatur.